

chrismate non praesumant: sed Presbyteri baptizatos un-

gant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte. Apud Gratianum de Consecrat. dist. 4. Can. 19.

Cum vero intellexisset Gregorius quosdam de Sardis hoc responso scandalizatos fuisse, retribuit eidem Episcopo in hac verba: "Pervenit quoque ad Nos quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiae nostrae fecimus. sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos, chrismate tangere debeant, concedimus." Epist. 26. e. justem libri; & refertur a Gratiano dist. 95. Can. 1.

Observata digna sunt haec epistolae verba: Nos quidem secundum usum veterem ECCLESIAE NOSTRAE fecimus: tacite innuens, aliam esse Ecclesiae Orientalis consuetudinem; se autem scripsisse Episcopo Calaritano in priori Epistola, ut procederet juxta consuetudinem Ecclesiae suae, id est, Romanae; quae Presbyteris non permittebat, baptizatos sacro Chrismate in frontibus consignare. Sed cum hinc offenderentur Sardi, in hac Epistola (quae ad priorem refertur) permittit Gregorius, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant.

VI. Itaque non dubitavit Gregorius, quin Presbyteri etiam subinde esse possent hujus Sacramenti ministri; quod & supponit Eugenius IV. dum in Instructione pro Armenis dixit: Legitur tamen aliquando, per Apostolicam Sedis dispensationem, SIMPLICEM SACERDOTEM Chrismate per Episcopum consecrato hoc administrasse Sacramentum Confirmationis.

Unde Synodus Tridentina Can. 7. de Confirmatione dicens, ministrum hujus Sacramenti esse Episcopum, expressae ad vocem ministrum addidit, ordinarium.

VII. Plura in eandem rem vide apud Franciscum Farvacquium de Sacramento confirmationis c. 4. g. 4. §. 1. 3. & 4. Et quae 5. ostendit, seposita reservatione, posse etiam in Ecclesia Latina Presbyterum ex sola Episcopi commissione confirmare juxta illud Synodi Toletanae I. Statutum est, Diaconum non chrismate, sed Presbyterum absente Episcopo; praesente vero, si ab ipso fuerit praecipitum. Can. 20.

VIII. Quidquid sit, certum est juxta modernam Ecclesiae Latinae disciplinam, quam & à saccul. 4. in usu fuisse testis est Innocentius I. totis Episcopis fas esse hoc Sacramentum conferre; quae disciplina verisimiliter occasionem dedit sejungendi Confirmationem à Baptismo.

Cum enim invaluisset Baptismus infantium ilique à Presbyteris plerumque conferretur, contigit, ut hi potestate confirmandi instituti, Confirmatio differretur quousque praesentia Episcopi haberetur; quae populo Christiano multiplicato, cum frequenter ad longum tempus expectaretur, tandem conveniens visum fuit, differri quousque baptizati usum rationis attingissent.

IX. Quia ergo ad Episcopos pertinet hoc Sacramentum administrare, debent quoque hi omni cura invigilare, ne quis ex eorum negligentia hoc Sacramentum diutius, quam oportet, destitatur, quemadmodum multis ostendit Farvacquius loco citato in sua Charitate; optatque, "ut Episcopi omnes tam vigilantes sint ad ministrandum ovibus, Confirmationis Sacramentum, quam alacres & expediti, sunt ad suscipiendum (utinam non sollicitandum) sublimioris Cathedrae fastigium? certe [pergit Farvacquius] Armacanus Primas Hiberniae lib. 9. cap. 30. non dubitat alleveranter scribere, Quis Sacramentum Confirmationis retardat, sine quo plurimi suorum subditorum ab hac luce recedunt, graviter valde coram Deo delinquent.

X. Ex hac insuper Episcoporum mora in administrando hoc Sacramento contingit, tantam subinde multitudinem confirmatorum concurrere, ut vix confusio tempore administrationis vitari queat; neque atque Episcopus notitiam convenientem de confirmandis accipere: circa quae non inutiliter consulunt Episcopi quae in suis Instructionibus praescriptis S. Carolus titulo De Modo proceden-

di ad sumendum Confirmationis Sacramentum; in Actis Ecclesiae Mediolanensis pag. 421. edit. 1683.

XI. Sicuti ipsius Confirmationis ministrum ordinarium solum Episcopum agnoscit Ecclesia Latina, ita nec Chrismatis conficiendi sive benedicendi alium ministrum agnoscit; nec jam pridem agnovit; de quo praeter plures Canones Africanos apud Gratianum Can. 26. qu. 6. Can. 1. & 2. haec habet Canon. 20. Concilii Toletani I. sub initium sacculi 5. "Quamvis penè ubique custodiatur, & absque Episcopo Chrisma nemo conficiat; tamen quia in aliquibus locis, vel provinciis, Presbyteri dicuntur Chrisma conferre, placuit ex hac die nullum alium, nisi Episcopum chrisma facere, & per Diocesim destinare.

XII. Quod verò in eodem Canone subjicitur Episcopo sane OMNI TEMPORE licere Chrisma conficere, manifestè evincit, nequaquam eo tempore adhuc stabilitam modernam disciplinam, quae vult, ut Chrisma tantum feria v. ante Pascha sive in Cena Domini ab Episcopo conficiatur.

Hinc quoque ostenditur, supposititiam esse Epistolam, quae sub nomine Fabiani Papae (qui sedet circa initium sacculi 3.) ad omnes Orientales Episcopos extat; & de qua hoc fragmentum refert Gratianus Dist. 3. de Consecrat. Can. 18. "Litteris vestris inter caetera insertum invenimus, quosdam regionis vestrae Episcopos à vestro nostroque ordine discrepare, & non per singulos annos in Cena Domini chrisma conficere. Errant verò qui talia excogitant, & mente sana potius, quam recta sentientes haec audent. Sicut enim ipius diei solemnitas per singulos annos est celebranda, ita ipius S. Chrismatis confectio per singulos annos est agenda, & de anno in annum revocanda & fidelibus tradenda: quia novum Sacramentum est, per singulos annos, & jam dicto die innovandum, & vetus in sanctis Ecclesiis cremandum. Ista à sanctis Apostolis & successoribus eorum accepimus & vobis tenenda mandamus.

XIII. Videtur autem saeculo 7. praesens disciplina de conficiendo Chrismate in Cena Domini invaluisse: nam illius mentio fit in Sacramentario S. Gregorii, & antiquo Ordine Romano, aliisque qui circa ea tempora de Divinis Officiis scriperunt.

XIV. Praedictus Canon Toletanus vult, ut de singulis Ecclesiis ad Episcopum ante diem Pascha Diaconi destinentur, aut Subdiaconi, ut confectum ab Episcopo Chrisma possint accipere.

Et in Concilio Carthagenensi IV. can. 36. apud Gratianum Dist. 95. can. 4. "Presbyteri, qui per diversas Ecclesias regunt, non à quibuslibet Episcopis, sed à suis; nec per juniorem Clericum, sed aut per seipsum, aut per illum, qui Sacramentum tenet ante Paschae solemnitate chrisma petant.

XV. Addit Gratianus post particulam sed, OMNI ANNO idque fossan more suo inflectendo Canonem ad sui temporis disciplinam, quae chrisma singulis annis renovari volebat; quaeque etiam hodie obtinet: nisi dicere malimus cum Stephano Baluzio in notis ad hunc Canonem Gratiani, mendum hic esse in editionibus Gratiani, & pro omni anno legendum omnino.

XVI. Hodie non singuli Parochialium Ecclesiarum Rectores per se aut alium chrisma accipiunt ab Episcopo; sed Archiepiscopi id pro suis respectivè Districtibus accipere solent; qui illud Rectoribus Ecclesiarum distribuunt; aut in civitatibus Chrisma solemniter ad Ecclesiam primariam sive matricem deferunt, ad quam inferiores Ecclesiae accedentes id quaerere solent.

Synodus Mechliniensis P. II. tit. 2. c. 6. ait: "Non modo Archiepiscopi singulis annis ab Ordinario suo, vel Sede vacante à Vicario Generali, sacrum Chrisma & sacra Olea tempètivè petant & per Sacerdotem, Diaconum, vel saltem Subdiaconum, in mundis & honestis vasculis (sicut stanneis aut argenteis, nullo modo verò cupreis, & staceis aut vitreis) ad locum residentiae suae ferri curent; sed Pastores etiam singuli quotannis ab Archiepiscopo suo, vel ex ea Ecclesia unde consueverunt, per se aut alium Sacerdotem, non autem illo inferiore, in similibus vasculis

vasculis sacrum Chrisma, sanctaque Olea ferre non omittant; usque receptis, veteribus non utantur: sed quidquid ex illis super fuerit, si liquidum, lempadi quae luce ante venerabile Sacramentum infundatur; sin autem hombyci, vel gossipio immixtum fuerit, super piscinam comburatur.

Huic consonat Synodus P. II. Cameracensis tit. 5. cap. 8. & 9. atque hodiernam in requirendo ac deferendo sacro Chrismate disciplinam Belgicam haec Synodi exprimunt.

XVII. Saeculo 9. Parochos ab Archidiacono aliquando Chrisma accepisse testis est Hincmarus Remensis in Capitulis anno 877. Archidiaconis datis cap. 5. ubi una vetuit ne à Presbyteris, dum pro Chrismo accipiendo veniunt, eulogias exigant.

Et in Concilio Cabilonensi II. anno 813. Can. 16. apud Gratianum caus. 1. quast. 1. Can. 106. statutum, "ut sicut pro dedicandis Basilicis, & dandis ordinibus nihil accipiendum est, ita etiam pro balsamo, sive luminaribus emendis, nihil Presbyteri Chrisma accepturi dent.

Idem in Concilio Toletano XI Bracarensi II. & Triburienfi decretum fuit; quorum Canones refert Gratianus loco citato Can. 101. 102. & 103. ad quod reflectens Innocentius III. reprobatur consuetudinem quorundam Episcoporum Provinciae Cantuariensis, exigendi certam pecuniam quantitatem pro Chrismate, idque per anticipatam solutionem; ne viderentur pro Chrismate accipere. Refertur in cap. 36. de Simonia.

CAPUT III. De Ritibus Confirmationis.

1. Antiquus est ritus imponendi.
2. Manus impositio aliquando sumpta pro Confirmatione.
3. Ecclesia R. numquam rejecit manus impositionem.
4. Confirmandus Chrismate ungitur in fronte.
5. Unde Chrisma conficiatur?
6. Incertum est an unctio Chrismatis spectet ad essentiam Confirmationis.
7. Quam convenienter Balsamum adhibeatur, remissive.
8. Confirmandus apud Latinos ungitur in fronte apud Graecos in pluribus partibus corporis.
9. Unctio sit adhibito signo crucis.
10. De verbis in unctioe proferendis non convenit inter Graecos & Latinos; nec formula unctiois pertinet ad substantiam Sacramenti.
11. Ob formulam unctiois hodiernam Latinorum invaluit nomen Confirmationis.
12. Ritus percussiois post factam unctioem quid significet?
13. Episcopus confirmato pacem impertitur.
14. Hodie etiam assumuntur Patrinus; quorum antiquitas mentio non occurrit.
15. Quales in Patrinis adhibendi? & quis delectus habendus?
16. Quod eorum officium?
17. Cavendum ne per horum Patrinorum adhibitionem nimis multiplicentur impedimenta Matrimonii.
18. Quae in administratione servanda modestia.
19. Quid nominis mutatio significet.

I. Imprimis Apostolicus est ritus manuum impositio super confirmandos, de quo in Actibus Apostolorum c. 8. Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum... Tunc IMPONEBANT MANUS super illos & accipiebant Spiritum Sanctum.

Eundem ritum apud Patres passim expressum & adhibitum videmus: falsumque quod Innocentius III. dixerit eum in Chrismationem esse mutatum; quasi Ecclesia Romana (uti clamant Haeretici) abrogato ritu Apostolico sola Chrismatione uteretur.

II. Scribit quidem Innocentius III. in Cap. unico §. 4. De sacra unctioe: per frontis chrismationem manus impositione designatur: quae alio nomine dicitur Confirmatio, sed nequaquam dicere voluit, manus impositionem separari à Chrismatione; sed tantum, quod Frontis Chrismatio designet sive significet illud idem, quod olim simpliciter dicebatur manus impositio; & hodie alio nomine vocatur Confirmatio.

Van Espen Jus Eccles. P. II.

Idem dicere intendit Eugenius IV. in instructione pro Armenis dicens quod, A postoli per manus impositionem dabant Spiritum Sanctum & loco illius impositionis deservit in Ecclesia Confirmatio; nimirum, Sacramentum quod Apostolorum tempore dicebatur manuum impositio, hodie dicitur Confirmatio.

III. Neque Ecclesiam Romanam rejecisse manuum impositionem in administratione hujus Sacramenti sat manifestum est ex Pontificali Romano, ubi praescribitur, ut Episcopus orationem recitet extensis versus confirmandos manibus; sive ut legitur in Sacramentario S. Gregorii Levata manu; quibus idem re ipsa indicatur, ac si diceretur, IMPOSITI super confirmandos manibus; sive quidem tribus formulis idem ritus significatur, nempe oratio quam quis fundit super eo quem manu indicat. Quid enim est aliud manus impositio (ait Augustinus lib. 3. de Baptismo cap. 16.) quam ORATIO SUPER hominem?

IV. Ultra manuum impositionem & orationem super confirmandos, ungitur confirmandus Chrismate in fronte.

De hac unctioe frequens est apud Antiquos mentio; & plura apud Theologos obvia sunt testimonia; quae una quoque ostendunt, jam pridem orationibus Chrisma fuisse benedictum; nec non magnam unctiois efficaciam datam fuisse. Unus pro omnibus S. Cyrilli Hierosolymitani locus sufficit: "Quemadmodum panis Eucharistiae post S. Spiritus invocationem, non amplius est panis communis, sed est Corpus Christi: sic & sanctum hoc unguentum, non amplius est unguentum nudum, neque [si quis ita appellare malit] commune, postquam jam consecratum est: sed est Chrisma Christi, quod adventu Spiritus S. per ipsius Divinitatem energiam habet. Quod frons & alii sensus corporis tui symbolicè ungitur: & corpus quidem isto visibili unguento perungitur, anima verò S. vivifico Spiritu sanctificatur.

V. Chrisma hodie conficitur ex oleo olivarum & balsamo, de quo ita loquitur instructio pro Armenis. "Secundum Sacramentum est Confirmationis, cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod significat nitorem, conscientiae, & balsamo, quod significat odorem bonae famae, per Episcopum benedicto.

VI. Nequaquam tamen certum esse num Chrismatis unctio ipsi Sacramento sit essentialis, ita ut illa omissa esset tamquam nullum reiterandum Sacramentum, sat manifestum est ex responso Innocentii III. in cap. 1. de Sacramentis non iterandis; nam ad quaestionem, num Sacramentum Confirmationis in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chrismate sed oleo delinitus? non respondit Innocentius, Sacramentum esse iterandum tamquam nulliter collatum, sed cautè SUPPLENDUM, quod incaute fuerat praetermissum; ut fieri solet dum quaedam non ad essentialia requisita per errorem omissa sunt.

Ceterum hoc indubitatum est, hodie licitum non esse, sine vero Chrismate hoc Sacramentum conferre.

VII. Quam convenienter balsamum hic adhibeatur, & quomodo virtutes homini Christiano necessarias, nec non pinguedinem caelestis gratiae, quae per hoc Sacramentum infunditur, designet; pulchre explicat S. Carolus in suis Instructionibus de Sacramento Confirmationis parte 4. Actorum Ecclesiae Mediolanensis pag. 419.

VIII. Signatur autem in fronte; idque ritu antiquissimo: Nam S. Cyrillus Hierosolymitanus verbis supra relatis immediate subjungit: "Ac primum quidem frontem illinitur; ut eum abstergat à vobis pudorem, quem primus homo transgressor perpetuo circumferebat: simulque efficiat, ut possit in vultu non velato gloriam Domini intueri.

Subdit post haec Cyrillus: "Deinde verò aures ungitur, ut ad audiendum divina mysteria aures accipiat; de quibus Ilias dicebat; Et addidit mihi Dominus aures ad audiendum: Et Dominus in Evangelio: Qui habet aures audiendi audiat." Postea naves: ut divinum unguentum, res, ait, unguentum dicatis: Christi gratias odor est Deo, in his qui salvantur. Tum verò & pedes ungitur: ut induti thoracem iustitiae, fortiter ad adversum insultus diaboli constistatis.



Hæc Cyrillus, conformiter ferè ad disciplinam Græcorum, qui hodie unguunt baptizatum non tantum in fronte, sed & in oculis, & in naribus, & in utraque aure & pedibus. Ita Rituale editum à Jacobo Goar pag. 356.

IX. Conveniant Græci & Latini, quòd signent sive unguant adhibito signo crucis. Hic appositè exponet Parochus, ait S. Carolus, "illo crucis signo, quo Christus Dominus triumphavit, Christianum hominem, in cujus fronte dum confirmatur, in numerum adscribi fortissimorum ejus militum."

X. Christina per modum crucis fronti confirmandi inclinans Episcopus ritu Latino dicit: Signo te signo crucis & confirmo chrismate salutis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.

Quo tempore hac formalia Ecclesia Latina uti cœperit, incertum est; hoc certum est, Græcos hac formula nec olim usos fuisse, neque hodie uti; creduntque plures formam hodiernam Græcorum esse: Signaculum domi Spiritus sancti; neque Ecclesiam Latinam Confirmatione in ritu Græcorum ita factam improbare. Certum quoque est, formulam illam Latinorum primis decem sæculis notam non fuisse; neque ullum auctorem ante sæculum 12. illius meminisse; ac consequenter dici non posse formam essentialem hujus Sacramenti; ut latius ostendit Farvacquius in Opusculo de hoc Sacramento cap. 3. q. 2. ubi §. 2. monet, quod mens Eugenii IV. in instructione pro Armenis non fuerit essentialis Sacramentorum formas, sed ad summum assignare formas ordinarias in Ecclesia Latina usitatas; ut ita Armeni de ritu Ecclesie Romanæ essent instructi.

XI. Non dubium, quin post addita hæc verba: CONFIRMATIO te chrismate salutis, Sacramentum hoc vulgari nomine Confirmationis nuncupari cœperit; quo nomine nunquam vel rarò apud Veteres nuncupatum legitur; quibus tamen verbis & nomine convenienter præcipuus Sacramenti effectus rectè indicatur; qui est spiritualis Confirmatio sive roboratio ad resistendum diabolo, & fortiter standum pro Evangelio & Christi nomine; quemadmodum loco citato exponit S. Carolus.

XII. Ubi frons inunctio peracta est, Episcopus confirmatum leviter in maxilla cadit. Non per antiquam esse eam ceremoniam, probat silentium omnium Auctorum qui de Officiis Ecclesiasticis sæculo 9. & 10. scripserunt; illius tamen rationem piam hanc assignat S. Carolus: "Ut sciat homo Christianus, se jam militem esse, cujus pugna & victoria eluceat in patiendis injuriis, non illis inferendis; deinde se in Christiana militia constitutum esse, in qua non hujus vitæ jucunditates & commoda quaerant, sed incommoda potius, atque adeò mala multa patienter ferant; ac præterea intelligat officii sui esse in acie stare: te, laque unde veniant observare; ita ut quamvis illis telorum ictibus corpus, honor, opesque lædantur, anima tamen nullo pacto offendantur."

XIII. Demum pacem impartitur confirmando Episcopus ritu antiquo; utpote cujus meminit pristinus Ordo Romanus sæculo 7. conscriptus.

Pacem dari ostendit Parochus, ait S. Carolus, "ut intelligente te gratiæ cœlestis plenitudinem, & pacem, quæ exsuperat omnem sensum, consecutos esse."

XIV. Denique juxta hodiernum Ecclesie Latinæ morem in hoc Sacramento, non secus ac Baptismo, adhibentur Patrimi & Matrini; atque ratione susceptionis etiam

hic cognatio spiritualis constituens impedimentum, etiam dirimens matrimonium, contrahitur.

Quod apud Veteres horum Patrinorum mentio non fiat, mirum apparere non debet: quandoquidem, uti supra monuimus, pluribus sæculis hoc Sacramentum à Sacramento Baptismi vix separaretur; ideoque admodum verisimile est, disciplinam adhibendi speciales Patronos seu Sponsors vel Susceptores confirmationis incepisse, postquam Confirmatio desuit una cum Baptismo administrari. Dum enim conjunctim conferebantur Confirmatio & Baptismus, credebantur Patrimi sive Sponsors pro utroque intervenire; unde contigit, ut facta separatione, etiam separatim adhiberi cœperint Patrimi; ut ita antiquus ritus manere videretur.

XV. Synodus Audomarenfis Anno 1583. tit. 4. cap. 5. ne Patrinorum hæc adhibitio in Confirmatione reddatur inutilis voluit, "ad id muneris non quoslibet absque discrimine adsumi, sed ejusmodi omnino, qui ut spirituales parentes & possint & velint eorum, quos ad Confirmationem obtulerint, paternam curam gerere, eosque instruere, quomodo adversus visibiles & invisibiles salutis hostes ut dimicandum certandumque viriliter. Hæc beator itaque delectus & ratio talis, qualem Patrinorum in Baptismo habendam esse præscripsimus."

Et Synodus Mechliniensis P. II. tit. 4. c. 2. declarat, "qui in Baptismo Patrimi esse non possunt, nec hic esse posse."

XVI. Synodus Cameracensis P. II. tit. 7. cap. 1. vult ut Parochus Patrinorum officium exponat populo; nempe quod eorum puerorum, quos susceperint, tamquam filiorum spiritualium curam gerere, eosque prima fidei rudimenta docere debeant, si ea ignorent.

Addit hæc Synodus, ut singuli puerorum ab aliquo præsentandi adducantur, "mares quidem ait, quoad fieri poterit à viris, & puellæ à mulieribus."

XVII. Synodus Bulcòduensis tam sub Melfio, quam Mafio, monet consulendū parentibus, ut pro præsentantibus seu tenentibus assument, quantum fieri poterit, consanguineos aut affines, aut eos qui in sacris Ordinibus constituti sunt. Rationem addit Synodus sub Mafio: Ne multiplicentur Matrimonii impedimenta. Id ipsum moment Decretum Dacelii Gandensis sub Antonio Triest. tit. 4. cap. 2.

XVIII. Dum Sacramentum hoc ministratur, ait Synodus Bulcòd. sub Mafio c. 7. non modò qui illud suscipiunt, sed etiam eos offerunt, sed quotquot etiam præsentent sancto illi ministerio adfunt, sanctè pieque orent, ac summa animi intentione spectent, quod in illa solemnitate ministerii celebritate peragitur tum vero mente reputent cœlestia illa Spiritus S. dona, quæ illius Sacramenti virtute Fidelibus impendantur: in primisque tacita meditatione ne videant, quas in illis progressionem habeant, & an vitam agant tanta cœlestium donorum ubertate dignam.

Hoc laudandum suum Decretum; & hodie meritò sæpius inculcandum desumpsisse videtur Synodus ex Concilio V. Mediolanensibus sub S. Carolo cap. 8. ubi ad verbum exhibetur.

XIX. Addit deinde clausulam quæ nominis mutationis in hoc Sacramento fieri solitæ rationem indicat: "Ut qui hæc genus non ad notitiam Christi Domini vitam instituit, jam abjecto nomine ejusmodi, depositoque veteri homine, & antiqua fœcundia, rursusque novo ac sancto suscepto nomine, vitalem in sanctè agendo constantiam perpetuò deinde præstet."

7. Agnoscent Latini utrumque esse materiam sufficientem.

8. Quisque debet servare in usu panis consuetudinem & præscriptum suæ Ecclesie.

9. Forma hujus Sacramenti sunt verba quibus Christus illud confecit.

10. Non usdem verbis in omnibus Liturgiis exprimitur forma consecrationis Panis.

11. Varietas est in forma consecrationis Calicis.

12. Forma hodierna consecrationis Latinorum præsertim Calicis integra non est de essentia Sacramenti.

13. Forma hodierna necessariò ab omnibus exactè servanda.

14. Forma Consecrationis Calicis non continetur quoad omnia in Scriptura; est tamen conveniens.

15. Solus Sacerdos potest hoc Sacramentum consecrare.

16. Diaconi aliquando hoc Sacramentum populo distribuunt.

17. Diaconi id faciunt ut ministri Sacerdotum.

18. Distributio Calicis magis propria fuit Diaconis quam Panis consecrati.

19. Quamdiu hæc disciplina duraverit; & quæ hodie illius vestigia?

20. Hodie soli Presbyteri distribuunt; & quidem soli Pastores jure ordinatio.

21. Aliquando Religiosi veterum fuit Eucharistiam sine consensu Parochi populo distribuere.

22. Hodie, excepta Communione Paschali, in omnibus parochiis Ecclesiis, & ab omnibus Presbyteris distribuitur.

23. Unde hæc licentia invaluerit?

24. Quæ hinc incommoda?

I. Eucharistia vox Græca, propriè Latine significat gratiarum actionem: quare Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi dictum est Sacramentum Eucharistia, vel simpliciter Eucharistia à factò Salvatoris; qui illud instituit gratias egisse Patri Evangelistæ & Paulus testantur.

De hoc Sacramento habet hodierna fidei professio: "Profiteor in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, esse verè, realiter & substantialiter Corpus & Sanguinem, unam cum anima & divinitate Domini nostri Iesu Christi, fientique conversionem totius substantiæ panis & Corpus, & totius substantiæ vini & sanguinem: quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi."

II. Hæc à Pio IV. hujus formulæ professionis auctore desumpta fuerunt ex Canonibus Concilii Tridentini Sess. 13. ubi tres sequentes Canones in hanc rem editi sunt. Primus: "Si quis negaverit in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter & substantialiter Corpus & Sanguinem, unam cum anima & Divinitate Domini nostri IESU CHRISTI, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodò esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute: anathema sit. Secundus: "Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini unam cum Corpore & Sanguine Domini nostri IESU CHRISTI, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini; quam quidè conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat: anathema sit. Tertius: "Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujuslibet speciei partibus; separatione facta, totum Christum contineri: anathema sit."

III. Circa tertium Canonem observat Palavicinus lib. 12. hist. Concilii Trid. c. 2. n. 15. "Cum hic Canon à Patribus delectis ita fuisset conformatus: Si quis dixerit, sub qualibet specie, & sub qualibet ipsius parte non contineri totum Christum, sit anathema; Ioannem Amilianum Hispaniensem, Tudætanum Antistitem monuisse, ut ad jectum

retur, factà separatione, siquidem variabant sententiæ, an Christus esset sub qualibet particula hostiæ integra: atque ita effectum est.

Veritatem horum dogmatum contra nostri temporis Hæreticos varii Theologi doctissimis tractatibus ex Scriptura & traditione solidissime astruerunt, atque præ cæteris eruditus Auctor Operis Gallici cui titulus: Perpetuité de la Foy.

IV. Materia hujus Sacramenti, prout exprimitur in Decreto Eugenii IV. pro Armenis (quod extat tomò 13. Concilii generalium pag. 529.) est panis triticus, & vinum de vite.

Quid sit panis triticus; quid vinum de vite petendum ex vulgari æstimatione & judicio. Vnde omitti s Philosopherum aut aliorum subtilibus de his disputationibus, nunquam pro materia hujus Sacramenti aliud adhibendum, extra casum necessitatis, nisi illud; quod juxta vulgare & commune judicium habetur & dicitur propriè panis triticus, & vinum de vite.

V. Quæ sit species vini parum refert; modò revera sit vinum de vite: & uti advertit Cardinalis Bona lib. 1. Rev. Liturg. c. 23. n. 1. "nulla unquam de vino inter Catholicos, eos quæstio fuit; omnes enim vini nomine audito, illud statim mente concipiunt quod ab uvis exprimitur, & hominibus in potum exhibetur."

VI. De pane verò, pergit Cardinalis Bona, inter Orientales & Occidentales acerrimæ motæ sunt lites; nam Orientales fermentato utuntur, & hunc solum legitimum esse materiam hujus Sacramenti affirmant; Occidentales autem in azymis conficiunt, utentes tamen fermento non damnant. Adherent Latinis in usu azymorum Maronitæ & Armeni, sed quo tempore his uti cœperint præter morem cæterorum Orientalium difficile est invenire. Hæc ille, qui ibidem post Jacobum Sirmondum sustinet, etiam Ecclesiam Latinam multis sæculis usum fuisse pane fermentato; nec nisi post scisma Photianum usum azymorum introductum: e contra verò Christianus Lupus tomò 3. Scholiorum Dissertatione de Actis Leonis IX. c. 7. & sequentibus, & post ipsum eruditus Mabillonius in singulari Dissertatione De pane Eucharistico Azymo Fermentato multis ostendere voluit; usum Azymorum in Ecclesia Latina antiquissimum esse, & multis sæculis schisma Photianum antecessisse.

VII. Quidquid sit de hac facti quæstione, multis difficultatibus intricata, illud sat certum, utrumque panem, tã azymum, quàm fermentatum esse veram & sufficientem hujus Sacramenti materiam; ipsamque diversum usum esse unum è punctis disciplinæ, de quibus rectè dixit S. Anselmus Cantuariensis: "Quoniam multæ sunt diversitates, quæ non in substantia Sacramenti, neque in virtute ejus, aut fide discordant, neque omnes in unam consuetudinem colligi possunt: æstimo eas potius pro pace concorditer tolerandas, quàm discorditer cum scandalo damnandas. Habemus enim à sanctis Patribus, quia si unitas servatur, charitatis in fide Catholica, nihil officit consuetudo diversa." Hæc ille in Responsione ad Vauleranni querelas c. 1.

VIII. Illud quoque certum est, unumquemque teneri hac in re ritum & morem suæ Ecclesie servare; adeoque juxta modernam disciplinam, Presbyteros in Ecclesia Latina non posse uti pane fermentato; imò eo utentes graviter peccaturos; ita quidem ut qui id scienter perpetrasset, officio & beneficio privandum esse, ex Cap. finali de Celebratione Missarum concludant Canonistæ.

IX. De forma hujus Sacramenti Instructio pro Armenis loquitur his verbis: "Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit Sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum."

Omnes sive Orientales, sive Occidentales, tam antiquas quàm modernas Liturgias in hoc conspirare notat Vir eruditissime Benignus Bossuet Episcopus Meldensis in explicatione quarundam difficultatū circa preces Sacrificii Missæ n. 45. quòd ipsa Consecrationis vis ipsius verbis

TITULUS IV.

De Sacramento Eucharistiæ.

CAPUT I.

De Materia, Forma, & Ministro hujus Sacramenti.

- 1. Quid de hoc Sacramento habeat moderna professio fidei?
2. Quid Synodus Tridentina?

- 3. Contentio inter Patres Tridentinos occasione tertii Canonis.
4. Materia Eucharistiæ est verus panis triticus; & vinum de vite.
5. Non refert quæ sit species vini, modò sit vinum de vite.
6. Græci nuntur pane fermentato; eo etiam Latini aliquando usi fuerint?